



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUOD MONUMENTUM TEMPLUM SANCTI SERVATII SACRUM IN URBE TRAIECTI AD MOSAM,**  
**RUREMUNDENSIS DIOECESIS, AD BASILICA MINORIS GRADUM ATTOLLITUR** Ad perpetuam rei memoriam. –  
Quod monumentum primi quidem ordinis consilia multorum saeculorum multorumque simul artificum opera et  
construxerunt et coonestaverunt, templum videlicet magnum Sancti Servatii in Nederlandica urbe Maastricht dioecesis  
ipsius Ruremundensis plus iam nongentos quadraginta quinque annos, ex quo tempore ab Episcopo Cameracensi  
Nithardo est ad eiusdem Sancti honorem Deo consecratum, sublime tollitur veluti domicilium peregrinatorum piorum  
innumerabilium necnon sacellum memories nobelium reliquiisque caelitum insigne. Quandoquidem in eo iam feliciter est  
ut thesaurus hic artis multiplicis ac pietatis funditus redintegretur ac renovetur, Venerabilis Frater Episcopus ipse  
Ruremundensis, Ioannes Baptista Gijsen haud sine iustissima causa congruere apprime est arbitratus tum antiquae tum  
novae illius templi dignitati honorificum titulum Basilicae Minoris, quem ineunte hoc anno rite proinde ab hac expetivit  
Sede Apostolica, concinentibus scilicet cum eo sacerdotibus et religiosis ac fidelibus ipsis propriae communitatis.  
Agnoscentes autem Nos palam illius sacrae aedis momentum atque fructum simul perpendentes renovatae magis fidei  
certius proventurum ex concessi tituli praestantia libenter obsequimur adlatis sacri Praesulis precibus et de consilio  
Congregationis pro Cultu Divino deque apostolicae potestatis Nostrae plenitudine statuimus harum Litterarum virtute ut  
quod memoravimus templum Sancti Servatii sacrum in urbe Maastricht Ruremundensis dioecesis ad ordinem legitime  
provehatur Basilicae Minoris eodemque tempore universes instruatur iuribus ac privilegiis quae aedibus illo titulo  
praestantibus ex canonibus sacris convenient. Volumus praeterea singillatim ea cuncta ad amussim hac de re adservari  
quae ad Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis lunii anno MCMLXVIII foram datum sunt ceteroquin  
servanda. Contrariis quibuslibet rebus neutquam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die  
XXVII mensis Februarii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis  
*Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---